

Petrus de Vinea

*Ep. V 96 (Ad maiestatis
nostrae presentiam accedens...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 96 (Ad maiestatis
nostrae presentiam accedens...)*

1242

Eidem, ut non molestet eum, qui bona quaedam emerat ab episcopo prefato.

1. Ad maiestatis nostrae presentiam accedens P. de..., fidelis noster, nobis exposuit cum querela, quod, cum olim Firmanus episcopus, tum residens in episcopatu predicto, sibi potestarias quorundam locorum uendiderit pro certo pretio, cum omnibus iuribus ad ipsum spectantibus in quibusdam aliis castris, prout in publico instrumento uenditionis ipsius inde confecto per memoratum episcopum sigillatum sigillo plenius dicitur contineri, tu, sicut dicit, sua occupando iura non permittis eundem potestarias ipsas recipere ac habere, in ipsius graue dampnum et preiudicium manifestum. 2. Cumque igitur idem P., fidelis noster, excellentiae nostrae humiliter supplicarit, ut sibi super premissis celsitudo nostra dignaretur secundum iustitiam prouidere, nos ipsius supplicationibus benignius inclinati, fidelitati tuae precipiendo mandamus, quatenus, si tibi constiterit de premissis, et antequam prefatus episcopus ex lesa conscientia reus Marchiam exiuerit, uenditionem ipsam fecerit eidem, ulterius ipsum de predictis contra iustitiam non molestes. 3. Nisi forsan ad hoc aliqua iusta causa te moueat, quam, mandati presentis executione suspensa, curiae nostrae scribas.